

tio utique mundi, protenditur? Quando liberabimur a servitute ista? Quando restaurabitur Ierusalem civitas sancta? Utiq̄e completa hac Septuagesima, quae ex denario et septenario constat, propter decem mandata quae accepimus; et septem impedimenta quibus a mandatorum obedientia retardamur.

1147 Primum enim impedimentum nostrum et occupatio gravis est ipsa necessitas huius miseri corporis, quod dum modo somnum, modo cibum, modo vestem ceteraque similia quaerit, haud dubium quin frequenter impediatur nos ab exercitio spirituali. Secundo loco impediunt nos vitia cordis: ut est levitas, suspicio, impatentiae aut invidiae motus, laudis appetitus, et similia, quae quotidie experimur in nobis. Tertium et quartum impedimentum accipe prosperitatem huius saeculi et adversitatem. Sicut enim corpus quod corrumpitur, aggravat animam; sic deprimit etiam terrena inhabitatio sensum multa cogitantem. Utrimque ergo cave a laqueo tentationis, et quaere arma iustitiae a dextris et a sinistris. Quintum impedimentum gravissimum et periculosissimum ignorantia nostra est. In multis enim omnino incertum habemus quid agere debeamus: ita ut quid oremus, sicut oportet, nesciamus. Sextum impedimentum est adversarius noster, qui, tamquam leo rugiens, circuit quaerens quem devoret. Atque utinam in istis sex tribulationibus liberemur, ut vel in septima non tangeret nos malum, nec apprehenderet nos periculum in falsis fratribus. Utinam soli impugnant nos maligni spiritus cum suggestionibus suis, et nihil nocerent homines perniciosius exemplis, persuasionibus importunis, sermonibus adulationis vel detractionis atque aliis mille modis. Videtis certe quam necessarium sit ut adversus haec septem pericula, quibus impediuntur,

ptiformis Spiritus sancti auxiliis sublevemur. Pro his enim septem, quibus ab observantia Decalogi retardamur, in lectu poenitentiae Septuagesima praesens agit. Unde et reticetur interim *Allelia* solemne, et humanae transgressionis historia miserabilis ab exordio recensetur.

Varia de Septuagesima, ex S. Carolo Borromeo.  
(ACTA ECCL. MEBOLAN. P. VII.)

1148 **T**ALLIA erant his Septuagesimae temporibus tum Ecclesiae fideliumque occupationes et exercitia; dies quippe agebant in planctu, lacrymis alisque poenitentiae operibus, quibus illi, Deo reconciliarentur, et ad Quadragesimale ieiunium sese disponebant. Verum eorum loco (vicit adeo fraus daemonis) introductae sunt rixae, odia, lusus publici, saltationes, spectacula, commensationes, aliaque id generis morum corruptelae et peccata.

1149 Sicine, estis dilectissimi, Patris nostri Ambrosii institutorum memores? An huius obliiti estis quod dicit ille sanctissimus: *Idoli portio est inebriare vino mentem, ventrem cibo distendere, saltationibus membra torquere, et ita pravis actibus occupari, ut cogaris ignorare quod Deus est?* Nonne cum sancto Paulo nos alloquitur? *Quae portio iustitiae cum iniquitate, aut quae societas luci cum tenebris? Aut quae pars fidei cum infidelis? Qui consensus templo Dei cum idolis?* Haecine sunt Ecclesiae filiorum opera? nec hoc etiam posthac nomine donandorum. Filii sunt equidem, sed in matrem ingrati. Illa lugeat, ipsi rideant; illa pro eorum peccatis ingemiscit, ipsi cum spectaculis, quibus de iis triumphat Diabolus, mugantur; ipsa Dei iram suis in officiis placare sollicita est, ipsi eam suis peccatis nituntur anxius provocare; ipsa quovis studio omnis idolomaniae reliquias curat extirpare, ipsi etiam abrogatos Gentilium usus, quorum Sathan ipse auctor est, cum a mundi principio serpentis formam, ut primos parentes deciperet, personatus induxit, pro virili restitunt. Unde sicut olim sub hac larvata specie totius humani generis casum molitus est, sic hodie larvarum opera in eandem nititur ruinam, universum mundum iterum prolectare. Vigent adeo siquidem concupiscentiae nostrae, et effraenes cupiditatis morem ita gerimus, ut de nostris videatur temporibus locutum fuisse Isaiam Prophetam, cum dicit: *Et vocavit Dominus exercituum in die illa ad sletum et planctum, ad calvitium, et ad cingulum sacci: et ecce gaudium*

*et lactilia occidere vitulos et iugulare arietes, comedere carnes et bibere vinum. Comedimus et bibimus carnes enim morimur.* Nos Deus ad planctum et lacrymas, nos ad sacci cingulum, nos denique ad peccatorum poenitentiam vocat; vocem eius despicientes ad convivia, festa aliaque vetitia oblectamenta lacti et alacres currimus. Est sane quod hi timeant, qui cum remissionis gratiam, ad quam Deus nos adhuc invitat spreverunt, ne eam obtinere ubi voluerint, tempus aut locus eis denegetur. Quod his verbis tremendis quidem, iustus tamen, per eundem Prophetam Deus minatur: *Et revelata est in auribus meis vox Domini exercituum; si dimittetur vobis iniquitas haec, donec moriamini, dicit Dominus exercituum.*

## FERIA SEXTA

Homilia S. Bonaventurae Episcopi.  
SERMO DE DOM. IN SEPTUAG.

1150 **V**OCA operarios, etc. — Quia de beneplacito divinae voluntatis Dominus Iesus immunis ab omni peccato voluit tamquam reus a peccatoribus iudicari, ideo constitutus est a Deo iudex vivorum et mortuorum. Ad cuius officium exsequendum dicitur sibi a Deo Patre bene propositum verbum, scilicet: *Voca operarios*, etc. Et quoniam nullus coronabitur, nisi qui legitime certaverit, et nullus potest meritorie certare, nisi a divina misericordia vocetur ad bellum spirituale; ideo in verbo proposito valde eleganter et ordinate proceditur. Nam in verbo proposito primo notatur *divina dignatio* sollicitae vocationis; secundo, *humana fatigatio* meritoriae operationis; tertio, *perfecta remuneratio* divinae visionis. Primo notatur *divina dignatio* sollicitae vocationis, cum dicit: *Voca*; secundo, *humana fatigatio* meritoriae operationis, cum subdit: *operarios*; tertio, *perfecta remuneratio* divinae visionis, cum subinfert: *reddet illis mercedem suam*. Ista merces nihil aliud est quam visio divina, quae operariis redditur, non donatur, quia, secundum

VIVS. — Homil. Brev. Rom.

Apostolum ad Romanos quarto, *qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum*, licet ista remuneratio sit citra condignum; sed in sero et non in mane redditur ista merces, quia in fine operis, non in principio operarios consequitur remuneratio.

1151 I. Primo ergo in verbo proposito notatur *divina dignatio in sollicita vocatione*, cum dicit: *Voca*. Vocat enim Dominus tria genera hominum, ad quae omnia alia habent reduci. Nam primo vocat *aversos* ad amaritudinem poenitentiae in necessaria detestatione vitiorum; secundo vocat *conversos* ad rectitudinem iustitiae in obligatoria impletionem mandatorum; tertio vocat *perfectos* ad perfectionem vitae in voluntaria supererogatione consiliorum.

1152 Primo enim vocat *aversos ad amaritudinem poenitentiae* in necessaria detestatione vitiorum; unde Isaias vigesimo secundo: *Vocabit Dominus Deus exercituum in die illa ad sletum et ad planctum et ad calvitium et ad cingulum sacci*. — Vocat enim Dominus peccatores ad sletum et ad planctum, lacrymosae contritionis, et ad calvitium, mundantis confessionis, et ad cingulum, luxuriae arctationis; ut ruinam peccatorum deploramus per contritionem, capillos vitiorum decalvemus per confessionem, et carnis luxuriam per cingulum continentiae coarctemus. Sed quia de interioribus ad exteriora egressi sumus, de superioribus ad inferiora descendimus et pro Creatore creaturam dileximus; ideo noluit nos Deus tantum vocare per sanctos Prophetas, immo ipse personaliter ad nos vocandum venit de interioribus ad exteriora, ut nos ad interiora revocaret; descendit de superioribus ad inferiora, ut nos ad superiora traheret sive elevaret; ulterius ipse Creator assumpsit creaturam, ut nos ab amore creaturae retraheret et



ad amorem Dei revocaret. Unde ipse Dominus dicit Lucae quinto: *Non veni vocare iustos, sed peccatores ad poenitentiam.* Unde non simus incuriales et ingrati et si non volumus eius iustitiam formidare, saltem eius curialitati vicem impendamus et cum usque ad palatium coelestis patriae a quo pro nobis descendit, associemur.

<sup>1153</sup> Secundo vocat *convertos ad rectitudinem iustitiae* in obligatoria impletione praeceptorum; unde dicitur Isaiae quadragesimo secundo: *Ego Dominus vocavi te in iustitia et apprehendi manum tuam et servavi te.* — Deus enim vocat homines in *iustitia*, quando imponit praecepta ad osservandum; sed quia tanta est humana miseria, quod, nisi omnia opera humanae iustitiae divina misericordia aspirando praeveniatur et adiuvando prosequatur, sunt velut *pannus mulieris menstruatae*; ideo sequitur: *apprehendi manum tuam et servavi te*, quasi dicat: *Ego Dominus vocavi te*, imponendo praecepta ad servandum; *et apprehendi manum tuam*, id est, tua incepta opera iustitiae, quae nomine *manus* intelliguntur, praevieni aspirando; *et servavi te*, ad implendum mea praecepta, et propter hoc bene dicebat beatus Iob: *Vocabis me, et ego respondebo tibi; operi manuum tuarum porrige dexteram*; quasi dicat: *Vocabis me*, praecepta ad osservandum mihi imponendo; *et ego respondebo tibi*, ea opere adimplendo; *operi manuum tuarum porrige dexteram*, me adiuvando in perseverando. Unde Augustinus: "Da quod praecipis, iube quod vis."

<sup>1154</sup> Tertio vocat *perfectos ad perfectionem vitae* in voluntaria supererogatione consiliorum; unde dicitur Matthaei quarto: *Vidit duos fratres, Iacobum Zebedaei et Ioannem fratrem eius, in nave cum Zebedaeo patre eorum, reficientes retia sua,*

*et vocavit eum. Illi autem statim, relictis retibus et patre, secuti sunt eum.* — Dominus noster Iesus Christus *vocavit* eos, ut terrena contemnerent et etiam affectum carnalem postponerent; quia volenti sequi Christum in apice perfectionis evangelicae necesse est deponere exitialem concupiscentiam terrenorum et deponere carnalem demulcentiam consanguineorum. Et hoc est quod dicitur in praedicto verbo: *relictis retibus et patre, secuti sunt eum.* Quomodo autem totaliter debemus ire post Christum, dicit Chrysostomus super illud Matthaei: "Tria sunt, quae generaliter relinquere debet qui vult ire ad Christum, scilicet actus carnales, qui per *retia*; substantiam mundialem, quae per *navam*; parentes et consanguineos, qui per *patrem* intelliguntur."

II. Sequitur: *operarios*, ubi notatur <sup>1155</sup> *humana fatigatio in meritoria operatione.* Illa operatio humana est meritoria quae est primo operatio in *acquisitione coelestis gratiae*, decorantis proprium subiectum; secundo, in *multiplicatione dilatantis iustitiae*, acquirantis summum bonum; tertio, in *promulgatione legis divinae*, docentis ignarum proximum.

Primo igitur illa est meritoria operatio, quae est in *acquisitione coelestis gratiae*, decorantis proprium subiectum; unde Proverbiorum duodecimo: *Qui operatur terram suam, satiabitur panibus, qui autem sectatur olivum stultissimus est.* — *Qui operatur terram suam*, id est propriae conscientiae, evellendo ea ex spinas peccatorum per exercitium confessionis; *satiabitur panibus*, septiformis gratiae Dei, *habentis omne delectamentum et omnis saporis suavitatem*; *qui autem sectatur olivum*, dimittendo terram conscientiae sterilesce malis radicibus vitiorum, *stultissimus est.* Multum enim debet quilibet excolere et operari terram

propriae conscientiae: ut saltem gustet, quam dulces fructus sunt isti panes septiformis gratiae Dei.

<sup>1157</sup> Secundo illa est meritoria operatio, quae est in *multiplicatione dilatantis iustitiae*, acquirantis summum bonum; unde dicitur secundae ad Corinthios nono: *Potens est autem Deus omnem gratiam abundare facere in vobis, ut, in omnibus semper omnem sufficientiam habentes, abundetis in omne opus bonum*; quia incrementi iustitiae inchoatio spectat ad divinam misericordiam, sed eius cooperatio ad humanam industriam; nam bonum humanae iustitiae ex parte divinae gratiae habet inchoari et augeri, sed ex parte liberi arbitrii industriae habet coadiuvari, eo quod *adiutores Dei sumus*. Ideo Apostolus, hortans omnem Christianum ad proficiendum in via iustitiae, dicit: *Potens est autem Deus gratiam abundare facere in vobis*, ubi notificat, quod incrementum gratiae et iustitiae est ex parte Dei; *in omnibus enim sufficientiam*, quae ad salutem pertinet, *habentes, abundetis in omne opus bonum*, cooperante divina gratia. Et propter hoc dicitur Ecclesiastici decimo quarto: *Omne opus electum iustificabitur, et qui operatur illud honorabitur in illo.* — *Eligitur opus*, quantum ad liberi arbitrii industriam, sed *iustificabitur*, per acceptionem divinae vocis; *et qui operatur*, tale opus, *honorabitur*, propter acquisitionem divinae familiaritatis.

<sup>1158</sup> Tertio est illa operatio meritoria, quae est in *promulgatione legis divinae*, docentis ignarum proximum; unde dicitur secundae ad Timotheum quarto: *Tu vero vigila, in omnibus labora, opus fac Evangelistae*; quia melius persuadetur vita quam lingua, exemplo quam dicto. Ideo cuilibet volenti alium informare oportet refellere diaboli astutiam, suppeditare

mundi avaritiam, secundum quod dicit Apostolus: *Tu vero vigila*, contra fraudolentiam diaboli; *in omnibus labora*, contra carnis lasciviam; *opus fac Evangelistae*, contra mundi avaritiam, ut quod ore predicas opere complexas; Evangelium enim praedicat, omnia relinquenda esse. Insistamus ergo isti labori promulgandae legis exemplo beati Pauli, Actuum vigesimo sexto: *Annumtiabam, ut poenitentiam agerent et converterentur ad Deum, digna poenitentiae opera facientes.* Nec solum debemus insistere labori promulgandae legis, sed etiam cognoscendae veritatis, eo quod pluris meriti est quam exercitatio corporalis, maxime si ad hoc studet, ut alios illuminet. Unde Ambrosius: "Otiosus non est qui verbo Dei studet, nec pluris meriti est qui laborat extra, quam qui laborem Divinitatis cognoscendae exercet intra."

III. Tertio notatur in verbo proposito <sup>1159</sup> *perfecta remuneratio in divina visione*, cum dicit: *reddet illis*; et hoc nihil aliud est quam visio divina, quae *reddetur unicuique secundum bona opera* sua. Nam primo, *vocatis ad amaritudinem poenitentiae*, cuius fuit operatio in acquisitione coelestis gratiae, reddetur merces *delticiosa* ad fruendum propter affluentiam dulcedinis; secundo, *vocatis ad rectitudinem iustitiae*, cuius operatio fuit in multiplicatione dilatantis iustitiae, reddetur merces *copiosa* ad ditandum et honorandum propter excellentiam magnitudinis; tertio, *vocatis ad perfectionem vitae*, cuius operatio fuit in promulgatione legis divinae, reddetur merces *speciosa* ad intuendum propter refulgentiam pulchritudinis. Et sic ista merces est perfecta, et nulla alia, eo quod perfecte *dulcorat* gustum, perfecte *dilat* et honorat proprium subiectum et perfecte *delectat* visum.



1160 Primo illa merces erit *deliciosa ad perfruentium* propter affluentiam dulcedinis; unde dicitur in Psalmo: *Cum dederit dilectis suis somnum; ecce, haereditas Domini, filii; merces, fructus ventris.* — Christus est *fructus ventris*, Virginis gloriosae, datus in perpetuum *haereditatem* et *mercedem* deliciosam dilectis filiis Dei post istam vitam. Ista merces satiat appetitum animae, quia intime et per essentiam ei illabitur, delectant etiam ratione convenientiae, quia "delectatio est convenientis cum convenienti coniunctio"; et anima nulli melius convenit coniungi quam illi, ad cuius *imaginem* et *similitudinem* facta est.

1161 Secundo ista merces erit *copiosa ad ditandum* propter excellentiam magnitudinis; unde dicitur Matthaei quinto: *Gaudete et exsultate, quoniam merces vestra copiosa est in coelis.* — *Gaudete*, inquam, interius in anima; et *exsultate*, exterius in verbo et facto; nullus sit locus incertitudinis vel timoris, quia *merces vestra copiosa est in coelis*. Dicitur ista merces *copiosa*, quia replet totam animam ratione suae sufficientiae, et quia excedit suam capacitatem ratione infinitatis et abundantiae, et adeptio etiam ipsius mercedis evacuat omnem timorem. Ideo dicitur Abraham, Genesis decimo quinto: *Noli timere, Abram, ego protector tuus sum et merces tua magna nimis.*

1162 Tertio ista merces *speciosa est ad inveniendum* propter refulgentiam pulchritudinis; unde dicitur Sapientiae quinto: *Iusti autem in perpetuum vivunt, et apud Dominum est merces eorum, et cogitatio illorum apud Altissimum. Ideo accipient regnum decoris et diadema speciei de manu Domini.* — Sapientia enim aeterna iustis in perpetuum regnantibus proponet illas rationes aeternas omnium ad contemplandum in regno suo tam-

quam in speculo pulchritudine. In hac contemplatione sive visione est tota merces, quae tanto desiderio sui rapit animas beatas, ut *cogitatio eorum semper sit apud Altissimum*, quia in continua laude sunt et glorificatione, resolvendo in primum principium quicquid boni habent. Unde omne id, quod continue accipiunt, in eum resolvunt, qui solus potest glorificare, quia tanto anima isti mercedi est propinquior, quanto illa quae accipit, suo principio tribuit. Rogemus ergo, etc.

Varia de Septuagesima, ex S. Carolo Borromeo.  
(ACTA ECCL. MEDIOLAN. P. VII.)

TOT caecorum et obduratorum numero vos, dilectissimi, absit ut adscribamini, quo mundus imo suis omnibus dissolutionibus, prophanis lusuibus, daemonicis que operibus insanire videbitur, tanto magis ex charitatis debito, cecitati eorum debetis una cum Ecclesia condolare, et ardentioribus orationibus Dominum deprecari; nolite ad tot ingrati nostri erga ipsum animi vitia respicere; sed pro immensa sua misericordia illis dignetur, utpote fratris nostris licet obcaecatis, compunctionis spiritum, nobisque emendationem impertiri.

Cum hoc ipsum tempus sit, quo Christus seipsum olim pro peccatis nostris quadraginta dierum ieiunio, afflixit, astutasque viciis daemonis tentationes, nunc vicissim hic de Christi membris triumphare nititur. In quo sane cum ruina multorum, voti compos ex parte efficitur.

Hinc ut Christi militiae addicti duces nostrum imitemur, et in ieiuniis, orationibus, Ecclesiarum visitatione, concionum concursu, peccatorum frequentiori confessione ita exerceamur, ut sanctam Quadragesimam summa cum utilitate transigamus. Arma autem quibus Christo adunati communcem inimicum adorti, et vincere valeamus, ista sint, velimus; cum ipso scilicet, eo die quo Ecclesia eius in deserto cum daemone certaminis historiam exhibet (quae dies Dominica in capite Quadragesimae, ultimo Februarii indicitur) conveniatis, sacram Communionem excepturi. Precamur vos itaque in Domino, ne quis desit huic sacro convivio ad eius gloriam, et ad Sathanae confusionem censuro, ad quod vos iam anni sunt nonnulli, a quibus vos invitare consuevimus; quodque ista die eo solemnius est et splendidius, quod Gregorius Papa

XIII pro liberalitate sua indulgentias plenarias concessit, his potissimum qui e civitate aut Provincia Mediolanensi sanctum Orationis serotinae Institutum retinuerint, et hac die Eucharistiam exceperint.

1166 Ad hanc igitur sacram Communionem eo diligentius attentisque mentes vestrae praeparantur, quo facilis eae possunt abduci ex sese offerentibus animam avocandi modis, quibus Sathanas vos inescare, et sanctam hanc operam suae intentioni adeo contrariam inturbare nititur.

## SABBATO

Homilia Venerabilis Bedae Presbyteri.  
IN MATH. EVANG. CAP. 20.

1167 **S**IMILE est regnum coelorum homini patrifamilias, etc. Paterfamilias conditor noster est, qui in vineam suam, id est, Ecclesiam, quot sanctos ab Abel iusto, usque ad ultimum sanctum, qui in fine mundi venturus est, protulit, quasi tot palmites misit.

1168 *Conventione autem facta cum operariis, etc.* Denarius imaginem regis habet, et unusquisque qui ad Ecclesiam propinquat, in Christo debet imaginem recipere Deitatis, quam in paradiso livore serpentis perdidit. Huius vineae operarii primo Patres, deinde legis Doctores et Prophetae, ad extremum Apostoli, sacrorum in ea morum excolebant, prout tempus dictaverat, venustatem.

1169 *Egressus circa horam tertiam, etc.* Ab initio enim usque ad finem mundi istius, ad erudiendam fidelium plebem, Dominus destinare praedicatores non desistit: cuius mane ab Adam ad Noe usque protendebat: hora vero tertia, a Noe usque ad Abraham: sexta vero, usque ad Moysen: nona a Moysse usque ad adventum Domini fuit, in quibus antiquus ille populus, dum recta fide Deum colere studuit, quasi in cultura vineae laboravit. Undecima vero est ab adventu Domini, usque ad finem mundi, in qua

gentiles, qui antea otiosi stabant, per operadores Apostolos, ad vineam Domini vocantur: qui dicebant: *Quia nemo nos conduxit*, id est, vitae viae aperuit. Possumus etiam eadem horarum diversitates ad unumquemque hominem per aetatum momenta distinguere: quia ad vitam bonam alius in pueritia, alius in adolescentia, alius in iuventute, alius in senectute, alius in decrepita aetate perducitur.

*Cum autem sero factum esset, etc.* Tempore enim praeterito, futuri temporis per similitudinem exponit rationem, in quo Christus totius creaturae procurator et rector omnibus mercedem restituet, ut recipiat unusquisque propria corporis, prout gessit. Et incipit a novissimis usque ad primos, vel quia plerumque ante remunerantur serio venientes: quia prius ad regnum exeunt de corpore, vel quia aequalem vitae aeternae retributionem sortiuntur.

*Cum venissent ergo qui circa undecimam horam abierant, etc.* Quasi ergo post murmurationem denarium acceperunt, qui post longa inferni [limbi] tempora ad gaudia regni pervenerunt, quem nos quasi sine murmuratione post mediatoris adventum sumimus, quia mox, ut de corpore eximus, sine mora illa percipimus.

*At illi respondens uni eorum, etc.* Iste amicus qui increpat, protoplastum, et eos, qui in illo tempore crediderant, potest significare, cui dicitur: *Nonne ex denario convenisti mecum*, id est, recepisti mercedem, quam tibi promiseram: hoc est, imaginem et similitudinem meam; quid quaeris amplius, et non tam ipse plus accipere, quam aliud nihil accipere desideras?

*Volo autem et huic novissimo dare, etc.* Vere enim Iudaei oculum pravum, id est, nequam habentes intentionem, questi sunt contra benignitatem Dei: et stulte,



cum collatio regni non humani est meriti aut dignitatis, sed divinae est praestatio bonitatis.

1174 *Sic erunt novissimi, primi: et primi, novissimi.* Id est, Iudaei de capite vertentur in caudam, et gentes de cauda mutabuntur in caput.

1175 *Multi enim sunt vocati, etc.* Quia ad fidem multi veniunt, et ad coeleste regnum pauci perducuntur.

Varia de Septuagesima, ex S. Carolo Borromeo.  
(ACTA RECL. MEDIOLAN. P. VII.)

1176 **P**RÆTER igitur serotinam orationem, cui eo tempore debetis instare, seligetis adhuc nonnullas Dominicas, Festorumque dies, prout occurrerint, quibus speciale quoddam orationum, supplicationum, aliorumque operum ad quae nomine nostro, Pastor vester invitabit, exercitium praestabit.

1177 Quod si his muniti dispositionibus Quadragesimam inchoaveritis, longe facilius utilisque ea omnia, quae a vobis eo tempore Deus exspectat, agetis.

1178 Cumque quotidianum ieiunium, quod exceptis dumtaxat Dominicis, iis qui legitimo carent impedimento praecipitur, non possit sine mortali peccato omitti; non vos soli his diebus ieiunii legibus tenemini, sed et ut ii qui ex vestra sunt familia, famuli et filii aetatem ad hoc assequuti, ieiunent, officii vestri est providere. Quod omnes agere eo alacris debetis, spectato obedientiae Deo Ecclesiaeque debitaeproventu, aliisque utilitatibus, quas ieiunantes assequuntur. Cum Quadragesimale ieiunium sit anni dierum quasi Decima Deo persolvendum, et memoriale huius quadraginta dierum ieiunii, quod Christus in nostri exemplum sustinuit.

1179 Concionibus quoque vacabitis, cum Dei Verbum sit adeo utile et in Scriptura commendatum, dicente ipso Domino: *Qui ex Deo est verba Dei audit, nec ex Deo est qui non audit.* Nec ex negotiorum intermissione falso credatis damnium inde vos passuros; quinimmo lucrum est, non modo iuxta spiritum, qui temporalis rei comparatione longe superior est; sed etiam quia Deus se res vestras adacturam pollicitus est, dum eas eius causa intermiseritis. Audistis sane, ex Evangelio, *Quaerendum primum regnum Dei, et iustitiam eius, et haec omnia adducenda vobis.* Quodque habetur apud B. Iacobum, schilicet: *Non audiores tantum, sed factores operis, beatos in facto suo futuros.* Hinc quae

audieritis, opere complere nitamini, prout cuiusque status et conditio siverit.

Nec omittenda est sacra Confessio; quae ut ad animarum salutem adeo necessaria, sic eo tempore speciali ordine strictius ab Ecclesia praecipitur. Hinc ut omnes ad eam se disponant peroptatum, et summa cum discussione et mentis compunctione ea peragant; nec eos imitentur, qui cum tota Quadragesima, immo toto anno huic satisfecere praeecepto potuerint, ad ultimos omnino dies rem istam protrahunt, eamque quasi parvi rem momenti expediunt; peccata sua ex temporis penuria, quantumque Deo displiceant, quantum ex his animae damnium incurratur, poenam quae sit iis adnexa, quanta denique cura et difficultate anima peccato mortali vel uno semel conspurcata pristino notori restituatur, minime perpendentes. Inde rara adeo vitae emendatio observatur, et frequens ad eadem peccata maiori saepe dispendio recidiva.

1180 Quid maioris momenti existimari potest, dilectissimi, quam animae morbo afflictae, immo ex peccato omnino emortuae attendere? Quod si tanta cura de aegro corpore laboramus, quid pro anima agi non debet?

1181 Ad hoc ergo poenitentiae Sacramentum curatis, dilectissimi, non oscitante, ut solent, sed ut ad sacram anchoram a qua aeterna vestra salus dependet.

1182 Instructiones prae manibus habetis, quas olim vobis ad hoc tradidimus; iis nunc utamini.

1183 Quod recte ut agatur, vos etiam per Christi Redemptoris Sanguinem, cuius pretio ab hoc miseriarum statu, quem Quadragesima repraesentat, liberati sumus, enixius deprecamur.

1184 Hos potissimum alloquor, qui coram, quae pro Adventu scripseramus, parum solliciti in solitis pravis moribus perseverant, et vitae saepe tempus, quasi filii prodigi in Sathanae famulatio, aut explendis carnis suae libidinibus impendunt; ad Dei igitur Ecclesiaeque vocem sint intenti.

1185 Vos vero interiora vestra scrutemini. Convertimini, vos obtestamur Filii, convertimini, memores haereditatis vestrae coelestis, quam misere adeo dilapidastis.

### DOMINICA IN SEXAGESIMA

LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM LUCAM.  
Luc. VIII, 4-15.

In illo tempore: Cum turba plurima conveirent, et de civitatibus properarent ad Iesum, dixit per similitudinem:

3. Exiit qui seminat, seminare semen suum: et

dum seminat, aliud cecidit secus viam, et concalcatum est, et volucres coeli comederunt illud.

6. Et aliud cecidit supra petram: et natum aruit, quia non habebat humorem.

7. Et aliud cecidit inter spinas, et simul exortae spinae suffocaverunt illud.

8. Et aliud cecidit in terram bonam: et ortum fecit fructum centuplum. Haec dicens clamabat: Qui habet aures audire, audiat.

9. Interrogabant autem eum discipuli eius, quae esset haec parabola.

10. Quibus ipse dixit: Vobis datum est nosse mysterium regni Dei, ceteris autem in parabolis: ut videntes non videant, et audientes non intelligant.

11. Est autem haec parabola: Semen est verbum Dei.

12. Qui autem secus viam, hi sunt qui audiunt; deinde venit diabolus, et tollit verbum de corde eorum, ne credentes salvi fiant.

13. Non qui supra petram: qui cum audierint, cum gaudio suscipiunt verbum: et hi radices non habent: qui ad tempus credunt, et in tempore tentationis recedunt.

14. Quod autem in spinas cecidit: hi sunt, qui audierunt, et a sollicitudinibus et divitiis, et voluptatibus vitae, euntes, suffocantur, et non referunt fructum.

15. Quod autem in bonam terram: hi sunt, qui in corde bono et optimo audientes verbum retinent, et fructum afferunt in patientia.

### Homilia S. Gregorii Papae.

HOMILIA XV. IN EVANGELIO. *Habita ad populum in basilica sancti Pauli apostoli, Dominica in Sexagesima.*

1187 **L**ECTIO sancti Evangelii, quam modo, fratres carissimi, audistis, expositione non indiget, sed admonitione. Quam enim per semetipsam Veritas exposuit, hanc discutere humana fragilitas non praesumit. Sed est quod sollicite in hac ipsa expositione dominica pensare debeatis: quia si nos vobis semen verbum, agrum mundum, volucres daemonia, spinas divitias significare dicemus; ad credendum nobis mens forsitan vestra dubitaret. Unde et idem Dominus per semetipsum dignatus est exponere quod dicebat, ut sciatitis rerum significationes quaerere in iis etiam, quae per semetipsum noluit explanare. Exponendo ergo quod dixit, figurate se loqui innuit: quatenus certos vos redderet, cum vobis nostra fragilitas verborum illius figuras aperiret. Quis enim mihi unquam crederet, si spinas

divitias interpretari voluissem; maxime cum illae pungant, istae delectent? Et tamen spinae sunt: quia cogitationum suarum punctioibus mentem laerant, et cum usque ad peccatum pertrahant, quasi inflicto vulnere eruantur. Quas bene hoc in loco, alio Evangelista attestante, nequaquam Dominus divitias, sed fallaces divitias appellat. Fallaces enim sunt, quae nobiscum diu permanere non possunt: fallaces sunt, quae mentis nostrae inopiam non expellunt. Solae autem divitiae verae sunt, quae nos divites virtutibus faciunt. Si ergo, fratres carissimi, divites esse cupitis, veras divitias amate. Si culmen veri honoris quaeritis, ad coeleste regnum tendite. Si gloriam dignitatum diligitis, in illa superna angelorum curia adscribi festinate.

1188 Verba Domini, quae aure percipitis, mente retinete. Cibus enim mentis est sermo Dei. Et quasi acceptus cibus stomacho languente reiicitur, quando auditus sermo in ventre memoriae non tenetur. Sed quisquis alimenta non retinet, huius profecto vita desperatur. Aeternae igitur mortis periculum formidate, si cibum quidem sanctae exhortationis accipitis, sed verba vitae, id est alimenta iustitiae in memoria non tenetis. Ecce transit omne quod agitis, et ad extremum iudicium sine ulla momenti interpositione quotidie volentes nolentesque properatis. Cur ergo amatur, quod relinquitur? Cur illud negligitur, quo pervenitur? Mementote quod dicitur: *Si quis habet aures audiendi, audiat.* Omnes enim qui illic aderant, aures corporis habebant. Sed qui cunctis aures habentibus, *Si quis habet aures audiendi, audiat,* dicit; aures procul dubio cordis requirit. Curate ergo, ut acceptus sermo in cordis aure remaneat. Curate, ne semen iuxta viam cadat, ne malignus spiritus veniat, et a memoria verbum tollat. Cu-



rate ne petrosa terra semen excipiat, et fructum boni operis sine perseverantiae radicibus mittat. Multis enim libet quod audiunt, boni operis initia proponunt: sed mox ut fatigari adversitatibus coeperint, inchoata derelinquunt. Petrosa ergo terra humorem non habuit, quae hoc quod germinaverat, ad fructum perseverantiae non perduxit. Multi namque cum verbum contra avaritiam audiunt, eandem avaritiam detestantur, rerum omnium contemptum laudant: sed mox ut viderit animus quod concupiscat, obliviscitur quod laudabat. Multi cum verbum contra luxuriam audiunt, pollutiones carnis non solum perpetrare non appetunt, sed etiam perpetratas erubescunt: sed mox ut carnis species eorum oculis apparet, sic mens ad desideria rapitur, ac si adhuc ab ea nihil sit contra haec eadem desideria deliberatum: et damnanda agit, quae quidquid egisse se meminit, iam et ipsa damnavit. Saepe etiam contra culpas compungimur, et tamen post fletum ad easdem culpas redimus. Sic Balaam israeliticus populi tabernacula contemplatus flevit, eiusque se similem fieri in morte deprecatur, dicens: *Moriatur anima mea morte iustorum, et fiant novissima mea horum similia* (Num. xxii, 10): sed mox ut hora compunctionis transiit, in avaritiae nequitiam exarsit. Nam propter promissa munera, in eius populi mortem consilium dedit, cuius morti se fieri similem optavit: et oblitus est quod plaxerat, cum extinguere noluit quod per avaritiam ardebat.

1180 Notandum vero est, quod exponens Dominus dicit, quia sollicitudines, et voluptates, et divitiae suffocant verbum. Suffocant enim, quia importunis cogitationibus suis guttur mentis strangulant: et dum bonum desiderium intrare ad cor non sinunt, quasi aditum flatus vitalis necant. Notandum etiam, quod duo

sunt quae divitiis iungit, sollicitudines videlicet et voluptates: quia profecto et per curam mentem opprimunt, et per affluentiam resolvunt. Re enim contraria, possessores suos et afflictos et lubricos faciunt. Sed quia voluptas convenire non potest cum afflictione, alio quidem tempore per custodiam suae sollicitudinem affligunt, atque alio per abundantiam ad voluptates emolliunt.

Terra autem bona fructum per patientiam reddit: quia videlicet nulla sunt bona quae agimus, si non aequanimiter etiam proximorum malatoleramus. Quanto enim quisque altius profecerit, tanto in hoc mundo invenit quod durius portet: quia cum a praesenti saeculo mentis nostrae dilectio deficit, eiusdem saeculi adversitas crescit. Hinc est enim quod plerosque cernimus et bona agere, et tamen sub gravi tribulationum fase desudare. Terrena namque iam desideria fugiunt, et tamen flagellis durioribus fatigantur. Sed iuxta vocem Domini fructum per patientiam reddunt: quia cum humiliter flagella suscipiunt, post flagella ad requiem sublimiter suscipiuntur. Sie uva calcibus tunditur, et in vini saporem liquatur. Sic oliva contusionibus expressa amurcam suam deserit, et in olei liquore pinguescit. Sic per trituram areae a paleis grana separantur, et ad horreum purgata perveniunt. Quisquis ergo appetit plene vitam vincere, studeat humiliter purgationis suae flagella tolerare: ut tanto post ad iudicem mundior veniat, quanto nunc eius rubiginem ignis tribulationis purgat.

In ea porticu, quae cunctibus ad ecclesiam beati Clementis est pervia, fuit quidam Servulus nomine, quem multi vestrum mecum noverunt, rebus pauper, meritis dives, quem longa aegritudo dissolverat. Nam a primaeva aetate usque ad finem vitae paralyticus iacebat. Quid

dicam quia stare non poterat? qui nunquam in lecto suo surgere vel ad sedendum valebat: nunquam manum suam ad os ducere: nunquam se potuit in latus aliud declinare. Huic ad serviendum mater cum fratre aderat, et quidquid ex eleemosyna potuisset accipere, hoc eorum manibus pauperibus erogabat. Nequaquam litteras noverat, sed Scripturae sacrae sibimet codices emerat, et religiosos quosque in hospitalitate suscipiens, hos coram se legere sine intermissione faciebat. Factumque est ut quantum ad mensuram propriam, plene sacram Scripturam disceret; cum, sicut dixi, litteras funditus ignoraret. Studebat in dolore semper gratias agere, hymnis Deo et laudibus diebus ac noctibus vacare. Sed cum iam tempus esset, ut tanta eius patientia remunerari debuisset, membrorum dolor ad vitalia rediit. Cumque se iam morti proximum agnovit, peregrinos viros atque in hospitalitate susceptos admonuit ut surgere, et cum eo psalmos pro expectatione exitus sui decantarent. Cumque cum eis et ipse moriens psalleret, voces psallentium repente compescuit, cum terrore magni clamoris dicens: Tacete, numquid non auditis, quantae resonant laudes in coelo? Cumque ad easdem laudes, quas intus audierat, aurem cordis intenderet, sancta illa anima a carne soluta est. Sed exeunte illa, tanta illic fragrantia odoris aspersa est, ut omnes illi qui aderant, inaestimabili suavitate replerentur: ita ut per hoc patenter agnoscerent, quod eam laudes in coelo suscepissent. Cui rei monachus noster interfuit, qui nunc usque vivit, et cum magno fletu attestari solet, quia quousque corpus eius sepulturae traderet, ab eorum naribus odoris illius fragrantia non recessit. Ecce quo fine ex hac vita exiit, qui in hac vita aequanimiter flagella toleravit. Iuxta vo-

cem ergo Dominicam, bona terra fructum per patientiam reddidit, quae exarata disciplinae vomere, ad remunerationis segetem pervenit. Sed vos rogo, fratres carissimi, attendite quod excusationis argumentum in illo districto iudicio habituri sumus nos, qui a bono opere torpentes, et res et manus accepimus, si praecepta dominica egenus et sine manibus impleverit. Non contra nos Dominus tunc apostolos ostendat, qui ad regnum secum turbas fidelium praedicando traxerunt: non contra nos martyres exhibeat, qui ad coelestem patriam sanguinem fundendo pervenerunt. Quid tunc dicturi sumus, cum hunc de quo locuti sumus, Servulum viderimus, cui longus languor brachia tenuit, sed tamen haec a bono opere non ligavit? Haec vobiscum, fratres, agite, sic vos ad studium boni operis instigate: ut cum bonos vobis modo ad imitandum proponitis, eorum consortes tunc esse valeatis.

Varia de Septuagesima, ex S. Carolo Borromeo.  
(ACTA ECCL. MEDIOLAN. P. VII).

1192 **N**ec nobis gemitum causam aut lacrymarum fontem quem peccata vestra a nobis eliciunt, suppeditatis; ne locus sit amplius haec Apostoli verba mutuandi: *Multi ambulant quos saepe dicebam vobis, in me audent et fletus dico, inimicus Crucis Christi, quorum finis interitus, quorum Deus venter est, et gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt.* Cumque vobis hactenus poenitentiae spatium misericors Deus impertierit, benignitate tanta non abutimini; sed emendationi vestrae studeatis, Angelorum hoc modo laetitiae locum date. Ad Christi brachia, ea in cruce extensa habentis, Patris amore in filios semper aestuatis atque revertentes amplexaturi, et ut filios suos charissimos excepturi, configiatis.

1193 Aliis enim vobis, ut veteris Adami filii, per peccatum et coelo exilium imminet, et si poenitentiam agere negligatis, cum Sathanae regio partem consequimini, nec redemptionis quam passione sua Christus promeruit, fructus in vos redundabit.



## FERIA SECUNDA

Homilia S. Thomae a Villanova.  
CONCIO IN DOM. SEXAGES.

1194

**Q**UANTA sit utilitas praedicationis, aperte ostendit mundi conversio. Nam sic resonantibus tubis Apostolicis mundus conversus est. Et si in Ecclesia Dei nunc aliquid est viroris, et virtutis, hoc facit assidua praedicationis verbi Dei. Nam vere, ut ait Isaias: *Nisi Dominus exercituum reliquisset nobis semen verbi sui, quasi Sodoma fuisset seminis.* O quanta oblivio, quanta negligentia, quantum contemptus esset! Quomodo inundarent omnia peccatis, cum etiam inter tot reprehensiones, et exhortationes abundant satis delicta! Innumeras enim utilitates facit verbum Dei in anima, ut ait Bernardus; nam fraenat eam a peccatis, vivificat, illuminat, inflamat, mundat, confirmat, sanat, foecundat, emollit, et totius boni capacem facit. Etenim: verbum Dei est fraenum, vita, lux, ignis, cibus, medicina, virtus, et purificatio cordium. Longum esset haec omnia discutere, et ad hoc vix sufficeret totus sermo hodiernus: sed ex auctoritatibus Scripturae haec omnia breviter comprobabo. Quod *fraenet*, et cohibeat a peccato, patet ex Psalmo: *In corde meo abscondi eloquia tua, ut non peccem tibi.* Quod *mundat* a peccato commisso, patet ex Evangelio: *Vos mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis.* Quod *vivificat* animam, patet ex Evangelio: *Verba quae ego loquor vobis, spiritus, et vita sunt.* Quod *illuminet* mentem, patet ex Psalmo: *Declaratio sermonum tuorum illuminat, et intellectum dat parvulis.* Et iterum: *Lucerna pedibus meis verbum tuum, et lumen semitis meis.* Quod *inflammet*, patet ex Psalmo: *Ignitum eloquium tuum vehementer.* Quod *pascat*, patet ex Evan-

gelio: *Non in solo pane vivit homo, sed ex omni verbo quod procedit de ore Dei.* Quod *sanet*, patet ex Psalmo: *Misit verbum suum, et sanavit eos.* Quod *confirmet*, patet ex Psalmo: *Dormilavit anima mea proae taedio, confirma me in verbis tuis.* Quod *emolliat*, patet ex Psalmo: *Emittet verbum suum, et liquefaciet ea.* Et in Canticis: *Anima mea liquefacta est: ut locutus est.* Quod *foecundet*, patet ex Propheta: *Quomodo descendit imber et nix de coelo, et illuc ultra non revertitur, sed inebriat terram, et infundit eam et germinare eam facit, et dat semen serenti, et panem comedenti.* Sic erit verbum meum, quod egreditur de ore meo: non revertetur ad me vacuum, sed faciet quaecunque volui, et prosperabitur in iis, ad quae misi illud. O quam vellem ista omnia late discutere, et experimento asstruere, si tempus adesset, et ad alia non properarem. Videant, qui contemnunt audire sermones quantis bonis privant et expoliant animas suas. Nec mihi dicas, sapiens sum, litteratus sum, habeo in domo mea sermones Augustini, Bernardi, Chrysostomi, quos legam: nam littera mortua est, vox viva; habet enim nescio quid latentis energiae viva vox, quod non habet littera. *Vivus est enim sermo Dei, et efficax, et penetrabilior omni gladio accipiti, et pertingens usque ad divisionem animae ac spiritus, compagum quoque ac medullarum.* Non sic littera, plus enim movet sermo quam lectio. Praedicator enim vox Dei est qui loquitur in illo. Non venis audire hominem, sed Deum in homine. Item Spiritus sanctus cooperatur verbo amplius: sicut scriptum est: *Praedicaverunt ubique Domino cooperante, et sermonem confirmante sequentibus signis.* Quantos peccatores induratos, et vidimus, et legimus, ex auditu verbi Dei fuisse conversos, mutasse vitam, emendasse mores?

1195

Sed dices: non video hodie tantam utilitatem in auditorio, cum tanta frequentatione sermonum. Verum est. Quid hoc facit? Indispositio terrae, in quam semen cadit, non defectus virtutis in semine. An non vides in Evangelio ex seminato semine vix quartam partem pervenisse ad fructum, propter male dispositam terram? Utinam, utinam hodie ex tanto auditorio, vel quarta pars fructificaret, ut debet! Multi hodie auditores: et pauci factores. Videamus ergo iuxta litteram, quid impediatur a fructu. Tria impedimenta legimus in littera; scilicet: duritiam, siccitatem et spinas. Ex quibus sumuntur tria genera auditorum inutilium, qui audiendo non proficiunt. Primum ergo impedimentum est duritia. Scitis, Fratres, quomodo agricolae emolliant terram: ideo iuxta viam non fuit fructus, quia terra dura et conculcata. Quem fructum potest facere sermo Dei in corde peccatoris obstinati, indurati, qui per decem annos fuit in peccato mortali exercendo usuram, habendo concubinam, rancorem, et odium proximi, retinendo, et furando, et non restituendo, ludendo, et blasphemando? Ab hoc corde resilit statim sicut grando. Non apprehendit, non movet, non excitat affectus, non devotionem, non horrorem peccati, non timorem inferni, non desiderium salutis; et si omnes Scripturas cum magno fervore praedices, non excitabis in eo vel tantillum contritionis, doloris, timoris, compunctionis. Hoc propter nimiam duritiam, quam fecit peccatum diuturnum in ipso, et diuturna consuetudo peccandi. Unde, aut dormiunt audientes sermones, aut loquuntur, aut quasi tracti ex capillis cum magno taedio retinentur. Et ita: quia verbum Dei nullam facit impressionem in corde eorum, veniunt daemones, et rapiunt verbum de memoria statim, aut concul-

cant ipsum. Hoc est enim verbum quod *Cecidit secus viam.* Nam corda talium publica sunt, nullam habent custodiam; via publica per quam transeunt daemonia, sine impedimento, et contradictione. Sicut ait Iob: *Vadent et venient super eum horribiles.* Et ideo, quasi plenam habentes potestatem super eos, statim devorant verbum, et radunt a memoria, ne forte convertantur, et poenitentiam agant. Contra hos loquitur Apostolus, cum ait: *Adhortamini vosmetipsos per singulos dies, ut non obduretur quis ex vobis fallacia peccati.* Scitis enim, fratres, quot sudoribus et laboribus agricolae arent, scindant, et emolliant terram, antequam seminent, ut molli gremio, quasi mater terra recipiat, et foveat semen, ut sic haereat, et radices emittat. Sic, sic oportet ante sermonem quotidie examinare, discutere conscientiam, admonere, exhortari corda nostra, ne peccatis obdurentur, et fiant sterilia. Hoc primum, et maximum impedimentum est, hoc est pessimum genus auditorum, in quibus propter duritiam nulla fit impressio, nullus sensus, nullus gustus, nulla commotio. *Quoniam in malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccati.* Hi sunt filii diffidentiae: quia de eorum salute parum confidimus, quoniam nec libenter verbum audiunt, sed cum taedio et fatione. Unde secundum Evangelium: signum hoc est aeternae reprobationis: quia: *Qui ex Deo est, verba Dei audit, propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis.* Sunt filii huius saeculi, et in his quae saeculi sunt non fatigarentur audire fabulas, et cantilenas per diem, sed verbum Dei non sustinent per horam.

Secundum impedimentum est sterilitas et siccitas terrae: quia non habet humorem. Id est, tepiditas cordis

1196



non habentis humorem spiritus charitatis et devotionis, quia non pluit Dominus super illam coelestem rorem, et pluviam illam, quam segregavit haereditati suae. Magnum malum, fratres, tepiditas, etsi non adsunt multa gravia peccata. *Apocalypsis: Utinam frigidus esses aut calidus; sed quia tepidus es, et nec frigidus nec calidus, incipiam te evomere ex ore meo.* Quia anima tepida debilis est, et fragilis ad omne bonum. Unde isti licet aliquando audiant libenter, et cum gaudio sermonem, et hora qua audiunt excitentur, et commoveantur ad lacrymas, tamen quia non habent humorem devotionis, statim siccatur omnis illa viriditas orto sole tentationis, vel tribulationis, quia non habent vigorem, et virtutem implendi, et perficiendi bonos affectus, et bona desideria quae conceperunt, sed in herba siccantur: de quibus Psalmista: *Fiant sicut foenum tectorum, quod priusquam evellatur exaruit.* Audistis, fratres, saepius: quoniam bonorum affectuum, et desideriorum, infernus plenus est; non enim secundum desideria, sed secundum opera reddet Dominus unicuique in iudicio. Unde fratres, provenit ista siccitas, et ariditas, et tepiditas cordium in nobis? Utique ex duobus: aut ex defectu orationis, et exercitiorum spiritualium, quia, ut diximus, anima longo tempore non irroratur rore coelesti, et imbre illo spiritus. Unde Psalmus: *Anima mea sicut terra sine aqua tibi.* Idem Psalmographus: *Aruit cor meum, quia oblitus sum comedere panem meum.* Aut ex calore concupiscentiae consumente paulatim omnem humorem et vigorem spiritus. Calor enim carnis desiccat animam: et quo magis homo fit carnalis, eo magis desinet esse spiritualis. Unde Propheta: *Ignis est usque ad perditionem devorans, et omnia eradicans genimina.* Et ex hac

tepiditate provenit debilitas ad omnia bona. Unde Psalmus: *Quoniam declinaverunt in te mala, cogitaverunt consilia, quae non poterunt stabilire.*

Tertium impedimentum fructus est spinarum et herbarum nascentium multitudo, quae suffocant semen; id est, cupiditas. Felices religiosi, qui terram cordis mundam habent ab istis spinis. Saeculares, licet habeant spinas, videant ne suffocet semen earum multitudo. Vidimus plurimos aptos, ingeniosos, capacissimos, magni iudicii, et sensus, negotiis mercaturae, et divitiis implicatos omnem illam aptitudinem perdere. Proh indignum facinus, tot bona ingenia, tam male feriata! Quae si in divina sapientia expenderentur, fuissent insignia. Hi cum gaudio audiunt, et multum delectantur quando sunt in sermone, sed statim egressi de Ecclesia, rapiuntur ad negotia, ad officia, ad curam superfluum, vel ad voluptates et gaudia mundi: et sic verbum Domini obruitur, et suffocatur spinis curarum, et sollicitudinum et voluptatum. Ad quos Ieremias: *Novate vobis novale, nolite serere super spinas.* Quia non oriatur semen: sic enim faciunt agricolae radicibus evellentes spinas, et purgantes terram. Impossibile est Deo fructificare, et mundo; nequeant haec convenire simul: coangustatum est stratum cordis, ita ut alter decidat. Oportet purificare cordis agrum a cupiditatibus, et concupiscentiis, et deliciis mundi, cum qui fructificare Deo vult. Bernardus: Delicata est spiritualis consolatio, et non dabitur admittentibus alienam. Et hoc impedimentum est, quod maxime nocet, quia magis universale est. De his Apostolus: *Terra saepe venientem super se bibens imbrem, et generans herbam opportunam illis, a quibus collitur, accipit benedictionem a Deo. Proferens autem et tribulos, reprobata est, et maledicto pro-*

*xima, cuius consummatio in combustionem.* De his etiam Iob: *Sub sentibus delicias computabant.* Ubi attende quod divitiae, et voluptates spinac sunt; pungunt enim curis, et appetitibus et stimulis conscientiam.

Diximus quid impediat ne verbum Dei proficiat auditoribus: dicamus nunc quas condiciones debeat habere bonus auditor, ut proficiat. Tres ponit Dominus in themate dicens: *Hi sunt qui in corde bono.* Prima: quod audiat corde bono et optimo. Audit corde bono, qui audit libenter, et cum gaudio, et sine fastidio. Audit corde optimo, qui audit intentione, et desiderio proficiendi: debet ergo audire hilariter et utiliter. Sicut non parum refert, quomodo capiatur cibus in stomacho, sic non parum refert, auditor verbi Dei quomodo recipiat sermonem ad fructum. Sunt qui audiunt cum taedio, et hora fit longa. Hi quomodo proficient? Sunt qui audiunt libenter, sed curiose: quaerentes sibi magistros prurientes auribus. Hi delectationem quaerunt, et non fructum: paleam, et non granum: verborum ornam, et non sensum. Hi volunt audire elegantias, facetias, quaestiones subtiles, et vanam rethoricam, non doctrinam. O stulte! Ardet domus tua, et ignis omnia devastat, et tu exspectas rethoricam, et compositam orationem? Invidiat civitas ab inimicis, et iam iam in periculo es mortis et damnationis aeternae, et spectas suavia verba? In re tam seria pigmenta verborum requiris, et vento solo pasci desideras, non pasci solido cibo? Exemplum. Si quis Rex procuratori suo in negotio arduo mitteret litteras, ut sollicito negotiaretur, et ille immemor negotii laudaret characteres, admiraretur efficaciam, et ornatum litterarum: quomodo ei succenseret Rex? Sic omnino Dominus dedit nobis Evan-

gelium, et sacras litteras ad negotiandum Regnum coelorum. Si tu solam rethoricam attendis, stultissimus es viro-rum.

Secunda conditio est, quod verbum retineat, et memoretur; nam si semen non radiceatur in terra, non faciet fructum: vides certe quod tota hyeme latet absconsum in visceribus terrae, ut bene radiceatur. Gregorius. Si cibus non retinetur in stomacho, quid prodest homini? Et si libenter audias sermonem, si statim oblivisceris, quomodo perficies quod commendatum est? *Maria conservabat omnia verba haec conferens in corde suo;* quia optima terra erat, in qua Deus Verbum suum seminavit. Et in lege dicitur: *Omne animal, quod non ruminat, immundum erit.* Iacobus huiusmodi comparavit viro consideranti vultum suum in speculo: *Consideravit se et abiit, et statim oblitus est qualis fuerit.* Sic isti: tempore quo audiunt, conscientias suas in lumine verbi Dei aspiciunt, et maculas suas vident; sed egressi Ecclesiam statim oblitus sunt quales se viderint. O si hanc curam habuissetis, quam docti, quam sapientes essetis, cum quotidie, tantam doctrinam audiat! *Cum deberetis magistri esse propter tempus: rursus indigetis ut vos doceamini quae sunt elementa exordii sermonum Dei: et facti estis quibus lacte opis sit non solido cibo.* Quia Verbum Dei auditum non ruminatis, et non conservatis.

Tertia conditio est: *Et fructum afferunt in patientia.* Id est, efficaciter proficiunt. Alias quid prodest audire, nisi in damnationem? Nam scienti bonum facere, et non facienti peccatum est illi. Non enim auditores, sed factores legis iustificabuntur. Unde Dominus in Evangelio: *Viri Niniivitae surgent in iudicio contra generationem istam, et condemnabunt eam quia poenitentiam egerunt in praedicatione*



Jonae. Quia illi uno sermone, et brevissimo Jonae conversi sunt ad poenitentiam, et nos tot sermonibus non convertimur. Fratres, lex Evangelica non tam est theórica, quam practica; finis eius est operari magis quam scire. Sicut ergo, si quis optimus pictor, vel artifex, vel medicus non operaretur in illa arte, vana esset eius scientia: sic et tua christiana philosophia non prodest, si non operaris. Sed quid est quod addit: *In patientia?* Videlicet: quia nemo repente fit summus. Ad crescendo in virtute et perfectione, patientia opus est, sicut ad sapientiam. Non attendas qualibet die quantum profeceris, sed post annum. *Vac his qui perdidit sustinentiam;* qui desperantes de profectu virtutis tradiderunt se omni spurcitiæ, et immunditiæ, et sæculi voluptatibus. De hoc optima Parabola in Evangelio: *Sic est regnum Coelorum, quemadmodum si homo iaciat sementem in terram, et dormiat.* Mitte bonum semen doctrinae in agro cordis: nam illud servatum producet herbam desideriorum, calamum propositorum, spicam virtutum, fructum operum.

1201 Primo. Quare dicuntur Dominicae, Septuagesima, Sexagesima, Quinquagesima? Ut labentem vitam rememoret Ecclesia, dedit nobis Deus hic dies mensuratos et breves. O felix Patria! Vita sine mensura! Dies una, semper meridies, Bernardus.

1202 Secundo. *Exiit qui seminat, seminare, semen suum... Aliud cecidit in terram.* Terra est cor humanum. Bernardus: O quot agricolæ excoluerunt istam terram. et illa sterilis non attulit fructum! Hanc Prophetæ, Patriarchæ, hanc Martyres, etc. Imo ipse Christus agricola factus est.

1203 Tertio. *Vobis datum est nosse mysterium regni Dei.* Non labore, non su-

dore, sed dono Dei, sed gratia Dei, vobis datum est. *Confiteor tibi, Pater, Domine coeli et terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis.* Ita Pater, quia sic fuit placitum ante te. Hæc est causa; non meritum nostrum: sed illuminat quos vult, et quantum vult, et prout vult.

Quarto. *In tempore tentationis recedunt.* *Beati qui audiunt verbum Dei et custodiunt illud,* ut diu conservatum, crescat in segetem uberrimam, adveniente sole devotionis. Psalmus: *In corde meo abscondi eloquia tua ut non peccem tibi.* Nam occurrente luxuria, occurrit verbum: *Qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, iam moechatus est eam in corde suo.* Instigante ira, occurrit verbum: *Omnis qui irascitur fratri suo, reus est iudicio.* Dilata hoc. *Maria autem conservabat omnia verba hæc, conferens in corde suo.*

Quinto. *Quod autem in spinas cecidit.* *Hi sunt qui audiverunt, et a sollicitudinibus, divitiis et voluptatibus vitæ euntes, suffocantur, et non referunt fructum.* Quare spinæ sunt divitiæ? Nimirum, quia licet modo blandiantur, tamen postea in fine pungunt tormentis; sunt enim modo in herba, sed postea, cum induratae fuerint, producent spinas et aculeos. Psalmus: *Priusquam intelligerent spinæ vestrae rhamnum.* Vel, secundum aliam litteram: *Priusquam producat spinas vestras rhamnus; Sicut viventes, sic in ira absorbet eos.*

Sexto. Solent semina, licet parva, esse virtuosa. *Semen est verbum Dei.* Verbum quod est abbreviatum. Sed audi virtutem: *Vicus est sermo Dei, et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti: et perstringens usque ad divisionem animæ ac Spiritus, compagum quoque ac medullarum, et discretor cogitationum et intentionum cordis.* Psalmus: *Sagittæ tuæ transierunt;* quia penetrant corda. Dominus

*Deus locutus est, quis non prophetabit?* Bernardus: Quæ amplior prophetia, quam non considerare quæ videntur, sed quæ non videntur? Ecce, ieiunat, laborat, patitur familia qualia in Epistola dicit Apostolus: *Nocte et die in profundum maris sui, in itineribus sæpe, periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex genere, periculis ex gentibus, periculis in civitate, periculis in solitudine, periculis in mari, periculis in falsis fratribus.* *In labore et aerumna, in vigiliis multis, in fame et siti, in ieiuniis multis, in frigore et nuditate,* etc. Quære, quæ causa tanti laboris, nisi quia magnum præmium annuntiat et exspectat. Omnis ergo iusti mortificatio, futuræ vitæ prophetia est. Apostolus de hac prophetia: *Volo autem omnes vos loqui linguis magis autem prophetare.* Non est alia prophetia in nostra manu. Vivum ergo est semen istud verbi: sed vita eius Christus inclusus. Ille est humor, qui vivit planta, quo semen vivificatur. Quid enim prodest cortex verbi, nisi prius Christus inclusus verbo? Sicuti calor in corpore cum venerit ad animam, fervet intus. Psalmus: *Initio cognovi de testimoniis tuis, quia in æternum fundasti ea.* Initio, id est, principio: quia in æternum Christum, fundata est omnis Scriptura. De Christo enim illa scripsit. Ideo Psalmus de Synagoga dicit: *Exinanite, exinanite usque ad fundamentum in ea.* Fundamentum Christus est. Usque ad hoc, ut fundamentum a synagoga tollatur: *Exinanite, exinanite.* Figura de hoc, de aquis. Origenes: *Aquæ amaræ, littera legis.* Missum est lignum in aquas, et in dulcedinem versæ sunt. Lignum, de quo, ipse Christus Dominus: *Si in viridi ligno hæc faciunt?* De quo etiam dicitur: *Lignum vitæ est his, qui apprehenderint eam.* De quo etiam dicitur: *Benedictum est lignum, per quod fit in-*

stilita. Cum ergo Christus apparet in littera, tunc amaritudo in dulcedinem vertitur. Exemplum huius. Primum: de costa Adæ. Expone, de Ecclesia, et Christo. Secundum: de Joseph. Latet in littera Christus. Nam de duobus iuxta se pendentibus, unum restituit in regno, alterum vero furcæ gehennæ tradidit. Tertium exemplum: de serpente, devorante alios serpentes. Figura crucis, quæ facta est prudentia devorans prudentiam omnium gentium, cum prius esset virga, id est, supplicium eorum. Quid enim sunt omnes illæ caeremoniæ, et sacrificia nisi amaritudines, si non intus Christus inclusus prodatur? Quo intus misso, o quanta dulcedo est in illis! Et quam rationabiles apparent, ubi prius nulla ratio ostendebatur. Siquidem, ut ait Gregorius: Spoliavimus Aegyptios. Quos, nisi Iudæos? Illi enim in figura suæ spoliationis spoliaverunt alios; sed spolia Iudæorum, divitiæ sunt Christianorum. Assumpsimus ab ipsis legem, quam ipsi non frangebant, et eduximus nucleum dulcem latentem in cortice: illi lingebant corticem solam. Psalmus: *Lactabor ego super eloquia tua, sicut qui invenit spolia multa.*

Septimo. Eligendus est fertilis ager. 1207 Apostolus: *Qui seminat in carne, de carne et metel corruptionem: Qui autem seminat in Spiritu, de Spiritu metel vitam æternam.* Latro ille seminavit in optimo agro, et eadem die messuit. Christus ager, aut terra serotina. *Ecce odor filii mei, sicut odor agri pleni.* In Christo seminat, quisquis omnia in gloriam Dei facit. Nota tamen; quod agricola patienter exspectat, et diu. Ita homo spiritualis non eadem die colligere debet. Apostolus: *Qui reddet unicuique secundum opera eius.* His quidem qui secundum patientiam boni operis, gloriam, et honorem, et incorruptionem quaerunt, vitam æter-



nam. Et Dominus in Evangelio: *Fructum afferunt in patientia*. Et nota de hoc, in figura de Evangelio: *Sic est regnum Dei quemadmodum, si homo iaciat sementem in terram, et dormiat, et exurgat nocte et die, et semen germinet, et increseat dum nescit ille.*

Varia de Sexagesima, ex S. Carolo Borromaco.  
(ACTA ECCL. MEDIOLAN. P. VII.)

1208 Vos vero dilectissimi, qui postremo Adventus tempore aut incepistis, aut continuastis, in Mysteriis Christi quae sancta proponit Ecclesia ardentius exerceri, idem per Septuagesimam agere curetis, utque Israelitae in exilio positi, omissis instrumentorum musicorum laetitiaeque cantu, iuxta flumina Babylonis sederunt gementes cum recordarentur dilectae suae Sion, et interrogantibus verba caenionum moesti responderunt: *Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena?* Sic status in hoc mundo vestri miseriae perpendentes, tot calamitatibus, periculis tentationibusque implexos vos flere iuvat; memores coelestis illius Ierusalem a qua exules abducimini.

1209 Cunque mundus ad fallaces suas voluptates vos invitaverit, dicatis: *Quomodo cantabimus in terra aliena?* Mundi scilicet errorum particeps ne sitis, inordinatas eius vitetis consuetudines, comensationes, societatesque ubi vanitas colitur, prorsus fugiatis. Et dum corpore in terra adhuc detinemini: ita vos geratis, ut cum Apostolo dicere mereamini: *Nostra conversatio in caelis est*. In caelis siquidem inveniantur vestra desideria, voluptates vestrae, spes vestra. Ad hoc quas supra proposuimus agendi modos sequamini, orationem frequentiore habebatis, pro vobis ipsis, pro caecis illis hominibus, et pro nobis curam vestri agentibus. Deum denique sic vestri orationibus ad gloriam eius spectantibus, benignas aures praebiturum, exilique vestri transacto tempore redemptioni vestrae opus gloria sua consummaturum, et in coelestem patriam vos perpetuo donandis gaudio introducetaram sperate. Haec vobis imperat Deus, in cuius nomine, vobis interim benedictionem nostram elargimur.

## FERIA TERTIA

Homilia S. Bonaventurae Episcopi.  
COMMENT IN EVANG. LUCAE, CAP. 8.

1210 **R**egnum qui seminat, etc. Post congregationem multitudinis additur hic secundo *propositio similitudinis*. Et quia doctrina debet esse secundum exigentiam auditorum, ideo similitudo proposita quatuor habet differentias membrorum, correspondentes quatuor differentis auditorum. Quidam enim audiunt, sed non retinent, ut *obliviosi*; quidam audiunt et retinent, sed non faciunt, ut *desideriosi*; quidam audiunt, retinent, faciunt, sed non complent, ut *negotiosi*; quidam autem audiunt, retinent, faciunt et complent, et hi sunt *studiosi et virtuosus*.

1211 Haec quatuor genera hominum similia sunt quatuor differentiis terrarum, quarum prima semen *recipit, sed non retinet*, et quantum ad illam dicitur: *Exiit qui seminat seminare semen suum*. Exiit, scilicet de domo ad agrum, hoc est de quiete ad laborem; Psalmus: "Exibit homo ad opus suum et ad operationem suam usque ad vesperam". Et hic labor vel est in *opere iustitiae, vel misericordiae*, qui recte designatur per *seminationem*, secundum illud Ecclesiastae undecimo: "Mane semina semen tuum, et vespere ne cesset manus tua"; et Isaiae trigesimo secundo: "Beati, qui seminatis super omnes aquas, immitentes pedem bovis et asini". — Vel etiam est in *sermone doctrinae*; unde de Paulo praedicante dicitur Actuum decimo septimo: "Quid vult seminator verborum hic dicere?" Et isto semine multiplicata est Ecclesia, secundum illud primae Petri primo: "Renati non ex semine corruptibili, sed incorruptibili, per verbum Dei vivi et permanentis in aeternum". Et de hac seminatione intelligit hic; sed

haec, licet de se semper sit bona et fructuosa, variatur tamen secundum differentiam terrae suscipientis.

1212 Quaedam enim *suscipit, sed non retinet*, et ideo quantum ad illam subdit: *Et dum seminat, aliud*, id est alia pars seminis, *cecidit secus viam*, per quam scilicet est discursus, et ideo non est in ea status retentionis, sed transitus oblivionis propter strepitum multitudinis; quod significatur infra decimo octavo, ubi dicitur, quod "caecus sedebat secus viam, mendicans"; et cum clamaret ad Dominum, turbas "increpabant eum, ut taceret". — Unde hic non est locus fructificationis; quia non est in eo retentio seminis. Ideo adiungit: *Et conculcatum est*, scilicet a pedibus hominum, et *volucres coeli comederunt illud*; in quo intelligitur morsus daemonum, secundum illud Deuteronomii trigesimo secundo: "Consumerunt fame, et devorabunt eos aves, morsu amarissimo"; Matthaei septimo: "Nolite sanctum dare canibus, neque spargatis margaritas vestras ante porcos, ne forte conculcent eas pedibus suis". — Ex quo colligimus, quod duo expellunt de corde hominis semen divinum, scilicet malae suggestiones hominum et tentationes daemonum. Et ideo dicit Apostolus ad Hebraeos ultimo: "Doctrinis variis et peregrinis nolite abduci. Optimum est enim gratia stabilire cor, non escis, quae non profuerunt ambulatibus in eis".

Et ideo necesse est, cor nostrum elongari ab huiusmodi discursibus, "ut non simus sicut parvuli fluctuantes et circumferamur omni vento doctrinae"; Ieremiae secundo: "Quid tibi vis in via Aegypti, ut bibas aquam turbidam? Et quid tibi vis in via Assyriorum, ut bibas aquam fluminis?"

1213 Secunda vero differentia terrae est, quae *recipit et quadam modo retinet*, sed

*non fovet*; et quantum ad hanc subdit: *Et aliud cecidit supra petram*, id est super cor durum, de quo Zachariae septimo: "Cor suum posterunt ut adamantem"; et Iob quadragesimo primo: "Cor eius indurabitur quasi lapis". — Haec, quamvis semen possit retinere, non tamen potest fovere, deficiente humore; et propterea addit: *Etnatum aruit, quia non habebat humorem*, scilicet vegetantem et foventem; et in tali terra statim nascitur et statim moritur, quia parum habet de alimento, sicut foenum tectorum; de quo in Psalmo: "Fiant sicut foenum tectorum, quod priusquam evellatur, exaruit"; et Isaiae decimo octavo: "Ante messem tempus effloruit, et immatura perfecta germinabit". Et hoc est propter defectum humoris gratiae, secundum quod Isaiae decimo quinto dicitur: "Aruit herba, defecit germen, viror omnis interiiit"; et hoc contingit propter multitudinem petrarum, quae non sunt aptae ad semen divini verbi percipiendum; propter quod dicitur Amos sexto: "Numquid currere queunt in petris equi?", id est praedicatores, et hoc propter defectum aquarum; Iob duodecimo: "Si continuerit aquas, omnia siccabuntur". Quo contra Ieremiae decimo septimo: "Erit lignum, quod transplantatum est secus aquas, et non timebit, cum venerit aestus. Et erit folium eius viride et in tempore siccitatis non erit sollicitum".

1214 Tertia differentia terrae est, quae etsi aliquo modo *retinet et fovet*, non tamen *complet nec fructum profert*; quantum ad quam subdit: *Et aliud cecidit inter spinas*, id est inter mundanas sollicitudines, in quibus multi libenter conversantur; Iob trigesimo: "Esse sub sentibus delicias computabant". Istis spinis repleta est terra, secundum illud Isaiae septimo: Vepres et spinas in uni-



versa terra „ Et hoc merito maledictionis primae, secundum illud Genesis tertio: „ Maledicta terra in opere tuo. Spinus et tribulos germinabit tibi „ — Et in hac terra semen, etsi oriatur, non tamen consummatur; unde subdit: *Et simul exortae spinas, scilicet cum semine, suffocaverunt illud*, quia plus in cordibus proficiunt et crescunt cogitationes carnales quam spirituales et eis praevalet; Isaiae trigesimo secundo: „ Super humum populi mei ascendent vepres et spinas „. Et hoc est, quia non curant de spiritualibus; Proverbiorum vigesimo quarto: „ Per agrum hominis pigri transivi et per vineam viri stulti; et ecce, operuerant superficiem eius spinas „. Unde spinas totum occupant, ut fructus cum eis nasci non possit. Et ideo Ieremiae quarto: „ Novate vobis novale et nolite serere super spinas „; quia, sicut dicitur ad Hebraeos sexto, „ terra proferens spinas et tribulos reproba est et maledictio proxima, cuius consummatio in combustionem „.

1215 Quarta differentia terrae est, quae *recipit et retinet, fovet et fructum profert*, quantum ad quam addit: *Et aliud cecidit in terram bonam*, id est mentem docilem et benignam; de qua Exodi tertio: „ Educam filios Israel in terram bonam et spatiosam „. Haec est terra bona, quae habet quatuor condiciones praedictas, secundum illud ad Hebraeos sexto: „ Terra supervenientem bibens inbretem et proferens herbam opportunam his, a quibus colitur, accipiet benedictionem a Deo „, secundum illud Psalmi: „ Benedixisti, Domine, terram tuam „. — Haec benedictio est in completionem fructus; et ideo additur: *Et ortum, fecit fructum centuplum*, id est fructum perfectum. Et sic impletur illud Psalmi: „ Dominus dabit benignitatem, et terra nostra dabit fructum suum „, secundum

quod dicitur Genesis vigesimo sexto: „ Sevit Isaac et invenit in ipso anno centuplum „, Matthaei decimo tertio hoc expressius dicitur secundum tres gradus: „ Et fecit fructum centesimum, aliud sexagesimum, aliud trigessimum „; et hoc secundum tres gradus continentiae, vel tres gradus iustitiae; beatus vero Lucas tangit differentiam supremam, in hac includens alias.

Et nota, quod tres ponit terrae infructuosae differentias et unam tantum bonam, quia, secundum quod dicitur Matthaei vigesimo secundo, „ multi sunt vocati, pauci vero electi „. Et propterea conqueritur Dominus Michaeae septimo: „ Vae mihi! quia factus sum, sicut qui colligit in autumno racemos vindemiae „. Et ratio huius redditur Matthaei septimo: „ Quia lata est porta et spatiosa via, quae ducit ad perditionem, et multi sunt, qui intrant per eam; angusta est porta et arcta via, quae ducit ad vitam, et pauci sunt, qui inveniunt eam „.

1217 *Haec dicens clamabat*. Hic post congregationem multitudinis et propositionem similitudinis subiungitur tertio *excitatio apostolicae sollicitudinis*. Circa huiusmodi autem excitationem quatuor introducuntur ab Evangelista, scilicet *admonitio magistralis, interrogatio disciplinialis, praelectio familiaris et reprobatio iudicialis*. Primum sollicitat, secundum rectificat, tertium confortat et quartum humiliat.

1218 Primo igitur quantum ad *magistralium admonitionem sollicitantem* dicitur: *Haec dicens clamabat*, ut suo clamore excitaret auditorum attentionem, sicut Ioannis septimo: „ In die magno festivitatis stabat Iesus et clamabat „. Hoc est enim officium praedicatoris; Isaiae quinquagesimo octavo: „ Clama, ne cesses; quasi tuba exalta vocem tuam „, ut ex ipso modo dicendi excitet audientes. — Nec

tantum ex modo dicendi, sed etiam ex *sensu verbi*; propter quod adiungit: *Qui habet aures audiendi audiat*, id est, spiritualiter haec verba intelligat; et Beda: „ Ubique hanc admonitio interponitur, mysticum esse quod dicitur et attentius esse quaerendum ostenditur „. Et hoc significat ipsa multiplicatio actus audiendi, sicut Isaiae vigesimo octavo: „ Auribus percipite et audite vocem meam et attendite et audite eloquium „. Ad hanc exhortationem potest dicere vere intelligens illud Isaiae quinquagesimo: „ Erigit mane, mane erigit mihi aurem, ut audiam eum quasi magistrum „; et illud Iob quadragesimo secundo: „ Auditum auris audivi te, nunc autem oculus meus videt te „, etc. Tangit audiendi usum, quia tres sunt gradus: primus in audiendo exterius, secundus in credendo, tertius vero in intelligendo.

1219 Secundo quantum ad *disciplinalem quaestionem rectificantem* subditur: *Interrogabant autem eum discipuli eius*, ut scilicet dirigerentur ab eo, secundum illud Ecclesiastici trigesimo tertio: „ Qui interrogationem manifestat parabit verbum, et sic deprecatus exaudietur; et qui servabit disciplinam et tunc respondebit „. Hoc autem dicitur, non quia statim interrogaret, sed quia ad verbum Christi conceperunt voluntatem interrogandi; unde in Marci quarto dicitur: „ Cum esset singularis, interrogaverunt eum „. — Et quia interrogatio est de occultis et mysticis, ideo additur: *Quae esset haec parabola*, id est, quid significaret, ut per eius interpretationem possent intellectum capere, secundum illud Proverbiorum primo: „ Audiens sapiens sapientior erit, et intelligens gubernacula possidebit; animadvertet parabolam et interpretationem „; et Ecclesiastici trigesimo nono: „ Ideo occulta pro-

verbiorum exquiret sapiens et in absconditis parabolaram conversabitur „.

1220 Tertio quantum ad *familialem praelectionem confortantem* subditur: *Quibus ipse dixit: Vobis datum est nosse mysterium regni Dei*, id est intelligentiam Scripturae, quae regnum Dei dicitur, secundum illud Matthaei vigesimo primo: „ Auferetur a vobis regnum Dei et dabitur genti facienti fructus eius „. Dicitur autem Scriptura *regnum Dei*, quia ipsum praedicat et ostendit et promittit et obediendum perducit, secundum illud Ioannis quinto: „ Scrutimini Scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam aeternam habere „. De his igitur dicit Apostolis specialiter et discretive: *Vobis datum est*, quia ipsi ad hoc electi fuerunt; Ioannis decimo quinto: „ Vos autem dixi amicos, quia omnia quaecumque audivi a Patre meo, nota feci vobis „. Et signanter dicit *datum*, non *venditum*, ut gratiam agnoscamus; Matthaei decimo: „ Gratis accepistis, gratis date „; *datum* etiam, non *imatum*; infra vigesimo primo: „ Ego enim dabo vobis os et sapientiam „; *datum*, non *acquisitum*; Iacobi primo: „ Omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est descendens a Patre lumine „. In hoc ergo, quod familiariter dicit eos praelectos, confortat, ne deficiant ab inquirendo; infra duodecimo: „ Nolite timere, pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum „.

1221 Quarto vero quantum ad *iudicalem reprobationem humiliantem* subiungit: *Ceteris autem in parabolis, scilicet supple: datum est nosse, quod potius est ignorare*; Isaiae vigesimo octavo: „ In loquela labii „, scilicet exterioris, „ et in lingua altera loquar ad populum istum „. Et hoc facit iusto suo iudicio, quod non vult communicare sancta immundis, secundum illud Matthaei septimo: „ No-



lite sanctum dare canibus „ — Et propterea subdit: *Ut videntes non videant; ut non est ibi causale, sed consecutivum, sicut Ioannis nono: „ In iudicium ego veni in hunc mundum, ut qui non vident videant, et qui vident caeci fiant „* Et hoc iudicium praedicitur Isaiae vigesimo nono: *„ Claudet Dominus oculos vestros; prophetas et principes vestros, qui vident visiones, operiet. Et erit vobis visio Domini sicut verba libri signati „* Non est contradictio in hoc, quod dicit: *Ut videntes non videant, quia primum refertur ad visum exteriorum, secundum ad interiorum, secundum illud Isaiae quadragesimo tertio: „ Educ foras populum caecum et oculos habentem et surdum, et aures ei sunt „* Et hoc explicat sequens clausula: *Et audientes non intelligant; Isaiae sexto: „ Excaeca cor populi huius et aures eius aggravata „; et ibidem subditur: „ Auribus audite et nolite intelligere „* Unde dicitur secundae ad Corinthios tertio: *„ Usque in hodiernum diem, dum legeretur Moyses, velamen est positum super cor eorum „* Et hoc factum est divino iudicio, secundum illud ad Romanos undecimo: *„ Nolo vos ignorare, fratres, quia ex parte caecitatis contigit in Israel, donec plenitudo gentium intraret „* Et hoc debet omnes humiliter, secundum quod ibidem dicitur: *„ Noli altum sapere, sed time. Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit, ne forte nec tibi parcat „* — Et haec humilitas est opportuna et praeambula ad intelligentiam mysteriorum, quia dicitur Matthaei undecimo: *„ Abscondisti haec a sapientibus et prudentibus et revelasti ea parvulis „*

1222 *Est autem haec parabola.* Postquam praemissa est instructio parabolica in occultis mysteriis, sequitur secunda pars capituli, in qua describitur informatio

*apostolica in apertis eloquiis.* Haec autem pars habet duas particulas, in quarum prima eruduntur ad intellectum parabolae; in secunda invitatur ad communicationem doctrinae, ibi: *Nemo autem lucernam accendens, etc.* — Quantum ad explicationem parabolae attendendum, quod primo explicat eam generaliter, deinde specialiter, ibi: *Qui autem secus viam.*

Dicit ergo primo, quasi generaliter 1223 quendam intentionem parabolae praemittens: *Est autem haec parabola,* id est, hic est intellectus parabolae, ut posset dicere illud Ioannis decimo sexto: *„ Haec in proverbii locutus sum vobis. Venit hora, cum iam palam de Patre meo annuntiabo vobis „* — *Semen est verbum Dei.* Est autem divinum semen verbum Dei, quia per illud renascimur, ut fiamus divini; Iacobi primo: *„ Voluntarie genuit nos verbo veritatis „* — Iuxta quatuor membra in parabola praemissa quatuor distinguit auditorum genera, in quibus diversimode suscipitur semen divinatorum eloquiorum, ita quod unum semen accipit dispositionem, ut sit in aliis conculcatum, in aliis arefactum, in aliis suffocatum et in aliis multiplicatum.

1224 Primo igitur quantum ad explicationem *seminis conculcati*, quod est verbum Domini in corde oblioso, dicit: *Quod autem secus viam, hi sunt qui audiunt; quod non refertur ad semen susceptum, sed ad personas recipientes semen, qui et ipsi dicuntur semen, secundum illud Ieremiae trigesimo primo: „ Seminabo domum Israel et domum Iuda semine hominum et semine iumentorum „*, id est perfectorum et imperfectorum. Illi ergo, qui audiunt, semen sunt, sed ideo infructuosi, quia non retinent. — Propter quod addit: *Deinde venit diabolus, scilicet per suggestionem, et tollit verbum de corde eorum,* id est de recordatione. Et hoc signatum fuit Iudicium sexto,

ubi dicitur: *„ Cum sevisset Israel, ascendeat Madian et Amalech et vastabant cuncta, prout erant in herbis „* Unde ipse libenter destruit principia bonitatis, quia insidiatur nostrae saluti. — Propter quod adiungit: *Ne credentes salvifiant.* Sicut enim scriptum est Marci ultimo, *„ qui crederit et baptizatus fuerit salvus erit, qui vero non crederit condemnabitur „*. Ipse autem nihil quaerit nisi nostram damnationem tamquam iam damnatus; Apocalypsis duodecimo: *„ Proiectus est accusator fratrum, qui accusabat eos ante conspectum Dei nostri die ac nocte „*

1225 Secundo quantum ad explicationem *seminis arefacti* in corde desidioso subditur: *Nam qui supra petram, hi sunt qui, cum audierint, cum gaudio suscipiunt verbum.* Et hoc quidem est laudabile, secundum illud Actuum decimo septimo: *„ Susceperunt verbum cum omni aviditate „* — Sed tamen in hoc sunt reprehensibiles, quia non fovent nec volunt laborare; et ideo subdit: *Et hi radices non habent,* id est firmitatem charitatis, de qua Apostolus ad Ephesios tertio: *„ In charitate radicati et fundati „*; sed potius amorem libidinosum sive adulterinum, et ideo non proficiunt; Sapientiae quarto: *„ Adulterinae plantationes non dabunt radices altas nec stabile firmamentum collocabunt „*, quia, Osee nono, *„ radix eorum exsiccata est „* — Et quod isti non habeant radices confirmantes, ostendit, cum adiungit: *Quia ad tempus credunt,* scilicet in tempore prosperitatis, *et in tempore tentationis recedunt,* scilicet a Deo, secundum illud Deuteronomii trigesimo secundo: *„ Recessit a Deo, salutari suo „*. Hoc certe competit huiusmodi desidioso, secundum illud Ecclesiastici sexto: *„ Quam aspera est nimium sapientia indoctis hominibus, et non permanebit in illa excors „*,

sed, sicut dicitur Osee septimo, *„ vae his qui recesserunt a me! „* Quo contra Iob vigesimo septimo: *„ Donec deficiam, non recedam ab innocentia mea „*. Et ideo hortatur Ecclesiasticus secundo: *„ Fili, accedens ad servitum Dei, sta in iustitia et timore et prepara animam tuam ad tentationem „*

1226 Tertio autem quantum ad expositionem *seminis suffocati* in corde negotioso subditur: *Quod autem in spinas cecidit, hi sunt qui audierunt,* id est, illi signantur per illud. Et nota, quod auditus attribuitur omnibus, ut nullus possit se excusare; ad Romanos decimo: *„ Numquid non audierunt? Et quidem in omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terrae verba eorum „* — Sed non omnes faciunt fructum spirituales, quia impediuntur a curis carnalibus; et ideo addit: *Et a sollicitudinibus,* scilicet intra, et divitiis, scilicet extra, et voluptatibus vitae, scilicet infra; in quo tangitur triplex bonum commutabile, scilicet interiorius, exteriorius et inferiorius; cunctes suffocantur, id est, vitam spirituales perdunt, quia, secundum quod dicitur primae ad Timotheum sexto, *„ qui volunt divites fieri incidunt in tentationes et in laqueum diaboli et in desideria multa inutilia et nociva, quae mergunt hominem in interitum et perditionem „*; et ideo merito suffocari dicuntur. — Et ideo perdendo vitam interiorum, perdunt per consequens efficaciam exteriorum; et ideo subditur: *Et non referunt fructum.* Scribitur enim Ecclesiastae quinto: *„ Qui amat divitias fructum non capiet ex eis „*, quia, sicut dicitur in Psalmo, *„ dormierunt somnum suum, et nihil invenerunt viri divitiarum in manibus suis „*; et ad Romanos sexto: *„ Quem fructum habuistis in quibus nunc crubescitis? „* quasi dicat: nullum. Unde merito divitiae et voluptates comparantur spinis, tum quia